




VII

LAZARUS AUGUSTINUS COTTA MEDIOLANENSIS

NOBILISSIMO, ET DOCTISSIMO VIRO

HENRICO DE NOVA VILLA

APUD MAGNUM HETRURIÆ DUCEM

REGINÆ BRITANNICÆ ABLEGATO.



Quantum tibi delectationis olim attulerit amœna lectio Dialogorum Doctissimi Marchionis Ursi, ex humanissimis literis tuis aliàs accepi, Vir Illustrissime, atque Eruditissime. Profectò apud Ingenuos, & Doctos non modicum laudis promeruit Vir ille generosus, ac prudens: ut qui justissimo licèt defensionis titulo, & in patrocinium causæ communis scribens, pro tutela videlicet Poetarum, Oratorumque Italorum acriore Censura petitorum à P. Bouhours, in opus tamen exteri illius Authoris satis leniter, & talione mitissimo animadvertit. Tantum scilicet vel in Criticis, & Apologeticis [quibus sapidior aliqua nihilominus indulgetur salium urbanorum aspersio] placet modestia, quæ veram sequitur sapientiam, ut sequi solet claritatem Stirpis, & morum. Sed quantum arrisit tunc in Italo Authore moderamen illud scribendi; tantumdem hodie sollicitudinis infert, cuicumque cordi est Nationis honos, quod Itali alterius culpà in scandalum versa sit hujusmodi Controversia.

Subsistere quidem (fateor) intra pomæria Criticæ Urbanitatis, ut ut plura, nec sine acumine, opposuerint Urso, pro indemnitate Conterranei sui, Ephemeridum Trevoltiensium Authores: iisque pariter ulteriore adhuc modestia nervosè iterum reposuit Ursus, necnon alii simul Nostrates, ut inde haud injucundum emerserit toti Literariæ Reipublicæ oblectamentum. Verùm, nescio quo actus spiritu, in hanc messem irrepsit animosa falce Comes Montanus Pisaurensis, qui censuram in Ursum aggressus, licèt per ejus scripta levi calamo quaquaversum volitet; attamen neque Doctrinam P. Bouhours inibi refutatam tuetur, aut sustinet; neque aliud quicquam ab Urso ipsò vel incidenter prolatum, ut patet, refellit, cuncta spernens, atque deridens, nulla verò solida ratione uspiam impugnans. En paucis Oppositionum omnium sparsim luxuriantium compendiaria collectio. A Dam-

Damnarat Ursus Hyperbolem, quam damnarat & Phalereus. Montanus eam neque damnare satagit, neque defendere. Disputat tantùm, ac ambigit (prætereo alias nugas, & innumera vaniloquia) quinam Hyperbolem illam ad Homerum non pertinere primus dignoverit. De responsione quadam Alexandri Macedonis ad Parmenionem, quam in exemplum sublimis cujuspiam Effati Longinus adducit, contendit ille, Longinum ne verbum quidem habuisse, cum tamen habuisse satis indicet ejus Codex, etsi mancus, ac mutilus. De quadam pariter Apostrophe Ajacis apud Homerum, supponit versionem Ursi perperam constructam; cum tamen Textum illum ipse quam pessimè interpretetur. Uno verbo: tempus omne terit vagando, & nugando circa exempla tantùm aliquot, nec ultra pergit, fundamenta scilicet ipsa penitùs intacta relinquens, vel oppugnare oblitus, vel evertere impotens. Sunt hæc universæ Criseos machinamenta fortiora. Quidquid his superest, nonnisi mera congeries est Characterum Orientalium, rerumque emendicatarum, disparatarum, & minimè cohærentium sibi, quam minimè autem ei, de qua agitur, materiæ, quæ circa naturam Ingeniosorum, Urbanorumve Dictorum versatur unicè. Hinc facilis conjectura, Montanum scripsisse, non in impugnationem, sed in contemptum Doctrinæ alienæ, & in ostentationem suæ, quantulacumque illa sit.

At scandali totius, quod ex hujusce Controversiæ progressu diuturniore suboritur, culpa quidem non levis in Montanum, sed & plurima (si fas sit dicere) in Ursum ipsum est refundenda: siquidem, ut fama est, veritati consonet, quod Ursus Montano stimulos addiderit, ut Crisim illam typis daret; quod Bottazzoni benevoli sui Responsionem ad eandem Crisim tribu● Epistolis, Nobili viro Trevisano inscriptis, compræhensam lubens admiserit (forsan & urserit) quod Montanum ipsum Bononiam profectum humanioribus exceperit officiis, ac honorifico postmodum literarum commercio coluerit: & quod exuberanti denique animi liberalitate Bottazzonum obstrinxerit, ut Responsioni suæ Proœmium adderet, ubi totus in laudes Montani, & comitatis illius effunderetur.

Debuerat potiùs Ursus in id incumbere, ut frivola Crisis illa planè supprimeretur, ne tàm conspicua prostaret Gallis scripturientium hujusce generis Italorum cacoethia, quæ nimium latè patet ex insulso illo farcimine (arguerentque illi proinde ab Individuo ad Speciem) neve ultrò se proderet frequens noster, infensusque communi propugnationi Opinionum dissensus, & intestina Reipublicæ nostræ Literariæ discordia. Contra non debuerat affectare, vel officiis emere necessitudinem ullam cum Viro, quocum inita disputatione, nulla exinde illi utilitas, & (dicto sit venia) nullum decus. Et quemadmodum Montanum monuit amicè, habita ratione, & spectata dignitate Furfurariæ celebris Academiæ utrique Disputantium communis, ne se illius eximii Cœtus sodalem jactaret, ità debuerat non monere ad evulgandum scriptum illud indigestum, & circulatoria tantùm eruditione scatens, habita item ratione, & spectata dignitate universæ nostræ Gentis. Quod si, hac ipsa posthabita, privato tantùm

inhia-

inhiabat commodo sibi obvenienti ex illius inefficacis editione Censuræ, satius erat illi Censuram eamdem in puris naturalibus constitutam, & qualis de penu Authoris primitus exierat, typis cudendam tradere, nudamque, ac omni Responsione vacuam circumquaque distribuere: Sic enim Ursus, & rem sibi perutilem, & gliscenti Authori per gratam gerens, citrà ullam contentionem voti facilè compos extitisset. Sanè huic nodo non aptior cuneus. Demum non debuerat ultronea urbanitate Montanum quodammodo allicere ad tumescendum, & ad excedendos castigatoris temperantiæ limites (ut confidenter valde vel effecit ille, vel effici passus est ab Amico suo in Proœmio eidem Censuræ tempore impressionis addito) non debuerat, inquam, Ursus eum tot blandiciis, tot officiis tantùm non serviliter prosequi: probè gnarus, elatorum quorundam Ingeniorum morem esse, quò demissiùs coluntur, eò intemperantiùs efferri.

Quantumvis autem innotescat Orbi Literario, vim nullam inesse scriptis Montani, plurimum superficiei, & minimum profunditatis habentibus, nullamque pariter animosioribus adhuc, exsuccis licèt additamentis Amici illius, quin imò neutrum eorum (si dicantur duo) callere idiomata, quæ transcribit: quantumvis quoque hanc eamdem veritatem demonstrarit ad evidentiam Bottazzonus ipse, ponens in propatulo [ut ut in Græcis literis modicè tantùm versatus] novos errores Montani, dum veteres ille defendere nitebatur: nihilominus nimium semper ex hac parte, & cum excessu actum est favore illius. Etenim dato etiam quod Montanus eò pertingeret, ut nosceret pacato animo, improbari communiter intentionem suam, erroneas opiniones, & enormem, ut sic dicam, se gerendi modum; semper tamen Montanus tantùm lucri fecisse credendus est, quantum ei erat in votis: quandoquidem illi sat est, satque abunde habet, unde pabulum carpat mens gloriabunda [& hoc quoque nonnisi Juvenili tribuamus ætati, meliora nihilominus promittenti] cum licuerit sibi totius Encyclopædiæ Coryphæum Ignaris se pingere, potueritque hinc occasionem arripere buccinandi, se Hagæ fuisse, quinquagies in Aula Britannici Regis negotiosas deambulationes traxisse, sibique notum esse jamdudum, nedum aspectu, ac nomine, sed & familiaritate, ac literarum commercio Clarissimum Virum, non quidem Joannem Fridericum, *ut primùm scripserat, sed* Jacobum Gronovium, *ut melius consultus correxit in editione Censuræ: quoniam si primæ suppositioni tenaciter adhæsisset, incautæ nimium jactationis evicisset eum sua ipsius ætas; ni lactens adhuc condidisset Lucubrationes in Pindarum, easque* Joanni Friderico *Gronovio per vagitus, nequaquam verò per literas, ut asserit, communicasset.*

Cuncta hæc cùm ita se habeant, mihi porrò non aliud recolligendum superest, Vir Illustrissime, ac Eruditissime, nisi quod tuum sit planè [quoniam Tibi cum Urso plurimum esse familiaritatis, & amicitiæ jam novi] quod, inquam, tuum sit planè Marchionem Ursum efficaciter suadere, ut suos, quotquot sunt, Amicos dehortetur, quin & coerceat,

quo-

quominùs arripiant calamum adversus inofficiosum hunc Patriæ communis Perduellem : sollicitì, si non de propria, saltem de existimatione Nationis, quæ non levem hinc patitur diminutionem decoris, magisque patietur in dies, si viri istius, sibi quoque nocentis, Genio satis fervido] (in linea tantùm Literaria semper loqui mihi mens est) detur ansa iterum nova effutiendi eadem animositate, qua sponte primùm, nec lacessitus scribens, id strenuè præstitit, cum tamen mox in Mantissa Anonymi sui Censuræ præposita, se humanissimè scripsisse summa pace professus sit. Nulla ergo interim Responsione à quoquam occurrendum arbitror conatibus irritis Comitis Montani; quousque saltem scriptis dignioribus non transcendat metam illius, quà gloriatur etiamnum in prima Criticæ suæ Epistolæ pagina, tenuioris laudis in spe repositæ, nimirum Junioris *Discipuli, qui . . . . Talis quippè usque adeo erit ille censendus [liceatque festivè agere sub calcem Epistolæ] donec hiantem illam Lacunam, sive album illud punctorum sorte ancipiti supplendorum meliore fama repleverit. Vale Vir Illustrissime, mihique, Cultori tuo addictissimo, favere perge.*

MEDIOLANI, MDCCIX.

H2